

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tes. Ego quoque inter sacrum & saxum hareo. Nunquam tamen mihi persuaderi patiar, ut à Confess. D. Lutheri & libro Concordiæ discedam. Absolvi per DEI gratiam responsionem meam, quæ volente Illustriss. Electore, censuræ Theolog. Lipsiens. Wirtemberg. & Jenensium subiecta est, quibus etiam mandavit, ut præfat. eam exornent. Sed nondum aliquid certi habeo. Spero tamen exitum felicem. Miror, cum aliquot scripta Tubingam transmiseris, & ad D. Schopperum, nihil eorum publici Juris fieri. D. Zimmerman. provocatus à me nuper datis literis significavit, opposuisse se aliquid mendaci & fabulosæ narrationi Heidelb. de facta mutatione, verum suppressi illud in aula. Ah. &c. D. Schopperum puto in eo esse, ut aliquid edat, sed nihil communicat. Publicata est disputatio Heidelb. Lipsiæ, cui cum non interfuerim, qua fide edita sit, statueri nequeo. Arbitror te eam accepisse. Si Schopp. communicaret mihi suas cogitationes, libentiss. eum pro mea mediocritate juvarem, posteaquam meum laborem absolvi, licet graviss. & molestiss. visitationum & consistor. laboribus pene obruar. Incipiunt quoq; vires decrescere, ita ut tot simul laboribus difficulter vacare possim. Spes facta erat de adjuncto, verum, ut video, frustra. Dominus me confortet. Opus mihi nunc esset ocio, tanquam veterano, & ecce lateres duplicantur. Veniet itaq; Moses. Desidero vitam Academicam, sed DEO parandum est, extrudenti in messem suam, & variè nos exercenti, Wirtemberg. Theologi responsionem meam, Anhaltinis oppositam. per omnia calculo suo adprobarunt. Censuram ipsorum nuper accepi. Vicinorum Theol. censuram expecto. Hæc pauca hoc tempore scribere volui, plura scripturus, si alia oblata fuerit occasio. Bene in Domino vale & conjugem chariss. compatriissam nostram, unâ cum liberis reverenter saluta. Præcamur vobis omnia felicia. Si aliquid de iuis scriptis transmitters, facerem periculum, an possim habere typographum. Iterum vale. Vinariz, 20. Junii, 1585.

R. d. 1.

deditiss. compater

Timotheus Kirchnerus.



LXXXI.

*S. in Christo Emanuele. Reverende & clarissime D. D.
charissime Domine compater & in Christo, frater.*

Heri tuas literas, 10. Maji st. v. datas, accepi, quæ prima statim fronte me valde perurbant. Scribis enim, te binas literas ad me scripsisse, unas Storckelii
Rrrr 2 literis


literis inclusas, alteras per M. Freium missas, & te suspectam habere valetudinem meam, quòd responsum impederit. Verum tu valetudini meæ (DEO sit laus) iam injuriam facis. Ego enim mediocriter, DEI gratia, valens, literarum illarum neutras accepi. Domini tui bis hoc, mixto ex veteri novoq; mense, ad me scripserunt, primum per suum peculiarem tabellarium in causa tibi nota, secundò de dimittendo Diacono, quem ipsis, petente provinciali Capitaneo, designaram. Mirabar cum prioribus literis, quas 24. Aprilis st. v. hic accepi, non tuas simul mitti, nec postea sequi, cum eas avidissimè expectarem, quòd plenius ex illis torum negotium cognoscere potuissèm. Tabellarium statim postero die dimittebam cum schedula, qua testimonium fidelis redditionis illi perhibebam, & petium me intra decem dies effectum redditurum, pollicebar. Mentiri verò me invitum oportuit postea. Nam etli maturè cum fratribus deliberarim, tamen cum postridie à deliberatione D. David, me incio, in balneum abiisset, & alter ex Diaconis in Hassiam iter faceret, Stamblerus ex pedibus laboraret, negotiorum moles mihi & Osio solis incubuit, nisi quòd dominicalem concionem pro D. Davide Stamblerus habuit, cum ego suggestu exulem. Inde factum est, ut tardius scriberem, quæ fratribus & mihi scribenda visa sunt. Postea in medio descriptionis labore amanuensis meus febre correptus, non potuit festinare. Spero autem fore, ut cras aut perendie absolvat. Tunc statim proprium tabellarium ad Dominos vestros mittam. Sæpe in meditando te presentem optavi, cum plenè me omnia assequi dubitarem. Certè si in colloquutionem res deducta fuisset, expeditius, utraque parte coram audita, confici potuisset. Verum cum ita per scripta rem agi placuerit proceribus, non improbo consilium & feci, quod potui, candido animo diligenter. Fratres & in his D. David brevissimè se expederunt, omnes tamen in sententiæ ferenda statim initio, antequam ego ab ipsis audiret, consenserunt, quam ego fideliter relatam, Deo volente, mittam. Explicationem adjeci copiosiore, sed ut spero, utilem perlecturis. Hoc ad te scribo, ut me de mora coram Dominis proceribus excuses & spem secururi mox, quod petium est, scripti facias. Si interim Labacense judicium legere volent, mihi non ingratum est. De scholæ tuæ reslorescente felicitate, valde gaudeo, tibiq; & Reipublicæ gratulor, de nostra dolorem meum non audeo scribere, quem præfens declaram, si possèm, vel si frustra dolere me sentirem, dissimularem. Ulcus magnum me in hac parte cruciat. Invaletudo tua me dolore afficit, opto & exorabo tibi reintegrationem virium. DEUS mihi in CHRISTI nomine pro suo fidelissimo famulo petenti nihil denegabit. Italo certè periculosum est, se credere. Nullus mihi jam notus est Medicus. Sed diligenter explorabo. De Palatinis, Belgicis, Gallicisque tumultibus quid respondeam, non habeo, nec valet plura scribere. Apologiam mittam propediem. Jam vale & me quod facis,

ama-

ama. Conjugi tuæ ego cum mea plur. sal. d. Datum Græci festinanter, feria 6.
post Cantate, an. 1585.

T. F.

Jerem. Hombergerus.



LXXXII.

Salutem in servatore Christo, Reverende & clarissime

D. Doctor, Domine amice & frater plurimum colende.

ET si non dubito, M. Colbium sua seipsum virtute atque assiduitate, & tibi & Illustribus Dom. Proceribus commendatum esse, nolui tamen eum à nobis discedentem, sine meis ad te dimittere, officii magis & voluntatis meæ testificandæ causa, quam quod aliquid esse arbitrarer, quod à me, quam à fratre Doct. Erasmo, rectius scribi posset. De pecunia autem tibi debita ita constitui: quia tu nondum summam totam, quanta sit, significasti, scripsi ad civem Villacensem, Christophorum Grundhnerum, ejus ex fratre nepotem mecum habeo, ut meo nominae fl. 40. tibi transmittat, id quod ipsum facturum confido. Quod si verò jam antea per Mercatores pecuniam huc curasset, de quo mihi tamen non constat, dabo operam, ut quamprimum aliquem hic inveniam, cui tantum hic numerem ea conditione, ut vestratæ monetæ tantundem tu meo nomine recipias. Valde autem velim me vicissim aliqua in re gratificari tibi posse. De rebus nostris Mag. etiam Colbius pleraque poterit narrare. In vicino Palatinatu nihil est spei: & Palatinus etiam Johannes Bopontinus paulatim magis magisque Calvinismum suum detegit. Sed DOMINUS dissipabit consilia impiorum. Benè in DOMINO, Clariss. Dn. Doctor, & frater plurimam observande, vale: ac festinationi ignosce. Argentorato 10. Septembr. Anno 1585.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus, D.

LXXXIII.

Salutem à Domino nostro Jesu Christo, Reverende & Clarissime vir, compater honorande,

GRatulor proceribus vestris eam animi pietatem & fervorem, quem (ut ex
Literis R. d. v. intelligo) in reformatione Ecclesiarum apud vos adhibent,

R r r r 3

ae